

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

XXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

Stevensburg; Adelberti de Hurneseildon. Quod ut verius credatur, sigilli nostri impressione presentis decreti paginam iussimus insigniri.

Signum Domini Lotharii Romanorum  
Imperatoris invictissimi. (Locus Monogrammaticis.)

Data Anno incarnationis Domini Millesimo centesimo trigesimo tertio, VI. Idus Novembris, Indictione XI.

Anno vero regni regis Lotharii VIII. Imperii vero primo.

Actum Basileæ feliciter, Amen.



XXXVII.

HERMANNUS MARCHIO PRÆDIUM SUUM IN HUNINGEN ECCLESIAE S. PANCRATHI IN BAGGENANC DONO TRADIT.

ANNO MCXXXIV.

*Ex Gamsiano Mspt.*

Notum sit omnibus tam modernis quam posteris, qualiter *Marchio Hermannus* ex consensu *Berthæ* contectalis suæ prædium suum in Pago *Huningen* situm in Comitatu Adelberti, quod jure hereditario possederat, Ecclesiae S. Pancrathii in *Baggenanc* fratribusque inibi Christo secundum regulam S. Augustini servientibus pro remedio animæ suæ &

uxoris suæ Berthæ, omniumque parentum suorum contradidit, duobus mansis exceptis, quos Cunrado de *Wolfesfelden* & fratri ejus Ottoni in beneficium concessit. Quia vero reditus præfati prædii Bertholdus de *Ingersheimb* in suos usus pro quibusdam negotiis mancipaverat, statutum est, ut si quando Baggenacensis Ecclesia, sive per se sive per Marchionem de manibus prætaxati viri qualicunque pactione illud redimere posset, cum omni utilitate, quæ inde proveniret, libere & absque ulla contradictione possideret. Hæc autem traditio facta est anno Dom. incarnationis MCXXXIII. Indictione XII. Lotharii Regis anno IX. Adilberto Archicancellario, regente Spirensis Ecclesiam Sigefrido venerabili Episcopo, Bertholdo prædictæ Ecclesiæ Præposito. Aderant etiam de Congregatione, quando traditum est allodium, fratres religiosi & probabiles viri, qui cum cæteris assistentibus testimonium præbent hujus rei, Adelbertus, Henricus, Richardus, Ropertus, Drutmannus, Presbiteri, Wolpodo parochianus, Adelhohus acolitus, de Laicis tam liberis quam servis Bertholdus de Ingirsheimb, Conradus & frater ejus Otto de Wolfesfelden, Waltherus de Otheubrugge, Wignandus de Grecingen, Rogerus de Blidolvesheimb, Adelbertus de Merevelt &c. Hæc scripta sigilli nostri impressione corroboravimus, ut si quis ea ulterius infirmare tentaverit, auctoritate Apostolica & nostra vinculo anathematis obligatum se cognoscat.

Sig. Sigifridi D. gratia Spirensis Episcopi.

XXXVIII.